



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An, & in quibus casibus non liceat divortium instituere propter
conjugis adulterium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S XIX.

DE DIVORTIIS.

§. I.

An & quâ ratione licitum sit conjugi instituire divortium ob alterius adulterium.

Divortium, de quo potissimum in hoc titulo agitur, non est dissolutio matrimonij quoad vinculum, qualis dissolutio fieri potest ob impedimentum ditimens perpetuum inter Conjuges putativos intercedens, sed est separatio conjugatorum quoad thorum, & cohabitationem &c. ita ut manente vinculo conjugali inter legitimè matrimonio conjunctos, sibi tamen nec in thoro, nec in domo cohabitare teneantur taliter conjugati, quale divortium inter conjugatos fieri posse ab innocente, ob adulterium, aut illicitum concubitum cum altera persona ab altero conjugate commissam (si moraliter certus sit innocens conjux de talibus ab alio conjugate commissis) ex sacris literis etiam patet *Matth. 5. v. 32. & ex c. Significasti 4. h. 2.* neque enim frangenti fidem, fidem innocens tenetur servare: si tamen, quæ innocens prius fuerat, & à marito v. g. ob adulterium hujus discessit, postea & ipsa adulterium committat, tenetur ad priorem maritum redire, & eidem matrimonialiter cohabitare, quia censentur in tali casu paria delicta mutuâ compen-

satione tolli *c. penult. de adult. junctâ Gloss. in notatis. & c. ex literis 5. h. 2.*

§. II.

An, & in quibus casibus non liceat divortium instituire propter conjugis adulterium?

EX triplici potissimum capite non potest institui divortium ob conjugis adulterium. Primum scilicet, quia uterque conjux ejusdem criminis reus est, ob mutuam delictorum compensationem, ut dictum. Secundò, si culpâ vacet adulterium, quia ibi nulla est culpabilis fidei violatio, separatio locum non habet. Tertio denique, si conjux innocens injuriam sibi per adulterium illatam expressè, vel tacitè (ut si conjux innocens conscius adulterii alterius, spontè, & omnino liberè copulam carnalem cum altero conjugate habeat, aut alios actus conjugibus concessos admittat) remisit, & quasi condonavit.

§. III.

An, & quâ ratione conjuges propter adulterium separati, si postea reconciliati unus vel uterque relabatur in adulterium, possint denuo divortium instituire?

Posse iterum ab innocente, si post reconciliationem alter eorum, in adulterium